



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 18. Conjugum felix transfugium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

Incarnationis oppidum, ingeniosè sanè, & ad Indorum genium accommodatè. Ubi convenere advenæ, drama statim datum, cuius argumentum celebrandi centenarii consilium fuit. Ex scena ad deambulationem itum, quæ spectacula præbuit non illaudata inventionis: nam ex improviso Polychronius Gygas, enormis magnitudinis, promissâ barbâ, & canâ cæstrie, centenarium repræsentans, centum secum pueros trahebat, variis coloribus pictos, multiplici dissimilitudine Societatis officia significantes, & in laudes Polychronii modulatim subinde prorumpentes. Aliquantulùm progressis, armentum centum boum, non sine symbolo, occurrit. Deinde per centum arcus triumphales, emblematis conspicuos, ad templum processum est; in cuius limine centum panes oblati sunt: ara princeps centum luminibus conspicua erat, & his omnibus præfixa Societatis centum encomia. Suprà templi valvas tres statuæ visebantur: media Societatem, collaterales Sapientiam, Pietatemque præferebant, cum hac Epigraphe: *Centenaria Societas triumphat, Pietate duce, Sapientia comite.* Inter cætera, Latina Oratio omnium plausum consequuta est, cuius synopsis hæc fuit. Sex Generales Societatis laudati, prærogativa ejusdem & insignia facinora explicata; spolia de hæresi, infidelitate, & impietate reportata, ostensa; Christi in Societatem favores exhibitæ. Ingens deinde currus triumphalis productus, quem sex monstra duebant. Currui insidebant Societatis Heroës. Triumpho applaudebant Pontifices, Cæsares, Reges, populi, & etiam Cælestes. Quatuor rotæ vota quatuor, aurige Generales, Societas veste candidâ puritatem intentionis ob quælitam majorem Dei gloriam designans, in suprema currus parte ferebatur: cui obviam, tanquam sponsæ, processit Christus Matre comite. Finem drama imposuit felicitatis futuræ prognosticon. Hæc de Iudis satis.

CAPUT
XVIII.
Conjugum
felix trans-
fugium.

*Barbara fœ-
mina piæ.*

CAPUT
XIX.
Dux pueræ
fugit è ca-
ptivitate
elabuntur.

AD Urvaicam pergebant Mbororeenses, Christophoro Altamirano adniten-
tute, utilitatem facere, multis è fugâ retractis, aut ad oppidum ex paganismo
reductis. Inter alios multos non tacendus mihi est Mbororcensis Indus, qui ad-
hortante Niezuvio, insigni præstigiatore, & Rochi Gonsalvi necis machinatore, ab
Christianâ religione ad avitos ritus transfugerat, uxore & liberis ad Niezuvium se-
cum tractis. Niezuvius, ut perfugam indissolubiliter irretiret, multas pellices at-
tribuerat, quibus ne prolibitu abuteretur, fecrè Mamalucorum incursions, Nie-
zuvianos asieclas continuò infestantes. Cùmque propè esset, ut ab prædonibus
turpis desertor caperetur, septem vulneribus confossus, ex eorum manibus sese
proripuit, & fugit ad nos postliminiò directâ, salutem animi corporisque invenit.
Tantæ felicitatis præcipua causa post Deum uxor fuit, quæ toto quinquennio,
invito animo fugientem maritum comitata, nullo die omiserat globulos Marianos
orando percurrere, Superum Reginam flagitans, ne se, matitumque, sine Christiano-
rum subfidiis ex hac vita migrare permitteret. Quod ut efficaciùs ab afflitorum
Matre impetraret, spondebat se fidem maritalem servaturam; quod in tanta vivendi
licentia non caret heroicâ laude. Audita fuere ab Misericordiæ Matre pia mulieris
postulata, quæ ab Mamalucis toto anno investigata inveniri nulquam potuit; &
quamvis sapè febricitaret, ferè semper tamen in periculis sentiebat cœlitus sibi vires
augeri, quibus in abdita sylvarum profugeret, latronum cupidinem eludens. Tan-
dem post varios casus ad Mbororeum delata, & paulò post ultimis Sacramentis mu-
nita, non sine spe salutis animam exhalavit. Ante mortem Sociis affirmavit, ejus
Sancti nomen schedulæ inscriptum, quod antequācum cum marito fugeret, in sortem
menstruam promore Marianorum mancipiorum ex urna eduxerat, toto quinque-
nio tanquam sacrum amuletum gestasse, & in quovis periculo depropulsisse,
opemque ab Sancto petuisse, nunquam frustrato eventu. Sed aliud subjicio multò
memorabilius.

PERFIDA prædonum phalanx maximè reluctantæ puellas sorores, tredecen-
nem unam, alteram decennem, in servitutem trahebant. Illa, quod fugam
meditari videretur, flagris bis immaniter cæsa, colloque revincta, injustos dominos
sequi coacta est; donec centum à partia leuis, cùm jam retrogredi non posse cre-
deretur,